



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.





Συν Θεῷ

DISPUTATIONUM  
ETHICARUM  
VIII.

De

VIR T U T I B U S H O.  
M I L I T I C I S,

*In Inclytà VVittebergensi Academia  
proposita*

P R Æ S I D E

M. N I C O L A O H U N N I O  
Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,

R E S P O N D E N T E

W E N C E S L A O F E H R M A N N O  
Dresdensi.

V V I T T E B E R G Æ

Ex Officina Johan. Gormanii, Anno 1611.



cognati, & ami-  
r atrectata be-  
opes. Talia fer-  
Ethic. 11.5. si e  
nicis, propinquis  
am ante tranla-  
est; vel  
, & amicitiam  
plenissimum:  
tamen, quibus  
ini directum op-  
  
antum proximi  
aut non laedere  
in tantum ira,  
ffundant, quod  
m virgâ pater-  
is vel claudus,  
maritus uxo-  
c desunt, qui-  
ut hinc mor-  
tium, etsi na-  
amen incon-  
res loquitur.  
parte deserit  
e, ἀπ' εὐχολία,  
præcepta ira-  
laborant,  
issam præter-  
& commodo  
rudini magis  
εὐρητικός



*Reverendis, Clarissimis, Pietate, Eruditione, Vir-  
tute atq; autoritate Præstantissimis Theologis, de Ec-  
clesia CHRISTI optimè meritis beneq;  
merentibus,*

**Dn. FRIDERICO BALDUINO,**

S. S. Theologiæ Doctori, Professore in celeberrimâ Albiacâ Academiâ publico, Saxonicarum Ecclesiarum Superintendententi fidelissimo, Synedrijq; Ecclesiastici ibidem Assessori dignissimo:

**Dn. PAULO LAURENTIO,** S. S. Theologiæ Doctori, Ecclesiæ Dresdensis Vicinarumq; Superintendententi vigilantissimo, Consistorijq; supremi Ecclesiastici, quod ibi est, Assessori meritissimo:

**Dn. M. PAULO JENISIO,** Serenissimo Saxonix Electori à concionibus Primario, Consiliario Ecclesiastico longè dignissimo:

NEC NON.

**AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,**

*Pietate, eruditione, autoritate, dexteritate judicij, integritate laudis, rerumq; usu & experientiâ præstantissimis Viris,*

**Dn. Consulibus, totiq; ordini Senatorio, inclytæ ac celeberrimæ Reipublicæ Dresdensis:**

*Dominis, Mæcenatibus, Patronis ac Promotoribus suis, omni reverentiæ cultu aternum honorandis,*

*Ethicum hoc Exercitium gratitudinis & observantiæ ergò consecrat atq; offert,*

**VVENCESLAUS FEHRMANNUS,**  
**Respondens.**



Σὺν Θεῷ.

De

# VIRTUTIBUS HO- MILITICIS,

I.

*Virtus ὁμιλιτικὴ ἐστὶν virtus in civili conver-  
satione medium observans, ne alteri molestia  
creetur, sed omnia suavitate abundant.*

I.



OMO ζῶον ἐστὶ ὁμιλικόν, καὶ πολιτικόν; minus  
tamen conversationi aptum, nisi moribus im-  
buatur, & virtutibus instruatut. Non itaque po-  
stremus virtutum finis ὁμιλεῖν, καὶ συζῆν;  
quamvis aliarum quidem virtutes directim, aliarum  
oblique conversari doceant. Ut enim omnes,  
singulaque virtutes in hoc sunt totae, ut politicae conversationis  
actus dirigant, idque in speciali, v. c. qualiter conversandum in  
bello, fortitudo, qualiter in convivijs temperantia; quomodo  
in foro justitia &c. praecipiant; superveniunt tamen his omni-  
bus ceu duces quidam speciatim dictae homiliticae virtutes, ge-  
neralia tradentes conversationis praecipua, & unamquamque vir-  
tutem ad ὁμιλίαν accommodantes.

II. Unde necessitas earundem conspicitur; necessarium enim  
pro salute civitatis, animos civium unitos, sibique devinctos:  
quid verò unit magis animos, quam suavis, & commoda con-  
versatio? quid necessarium magis, quam virtutum ad commo-  
dum quorumvis concivium applicatio? id quod quam optime  
per conversationem fieri potest.

A 2,

III. Con-

tionem, Vir-  
tis, de Ec-  
eg  
UINO,  
celeberr-  
um Eccle-  
drijq; Ec-  
no:  
S. Theo-  
rumq; Su-  
ijq; lu-  
enissimō  
Consilia-  
IMIS,  
ate ju-  
ex-  
inclytæ  
s:  
bus suis,  
& obser-  
ert,  
ANNUS,



III. Consistit verò civilis conversatio in directione verborum, & actionum: in utrisque consideratur honestas, & suavitas; ut verba deceat esse 1. honesta, 2. jucunda: actiones 1. honestas, 2. suaves. De Honestate verborum præcipit veracitas; actionum partim veracitas partim comitas. Suavitate utrorumq; urbanitas.

## II.

*Veracitas est virtus, qua id, quod in re quavis verum est, simpliciter, & aperte fatemur.*

I. Veracitas aliqua rerum est, ut docent Metaphysici; de qua nihil nobis negotij: alia verborum; quam sermonis cum re, quam exprimunt, convenientiam generaliter describimus. Præmittimus verò & illud: vel maxime distinguendum inter veritatem & veracitatem: illam ἀλήθειαν Græci nominant, hæc ἀνώνυμῳ est, quamvis nō inconvenienter fortè ἀληθινολογία quis dixerit. Veritas inest verbis, veracitas menti. Veritas est actus unicus; veracitas habitus. Veritas actus secundus; veracitas primus. Non igitur veracitas est quodcunque veriloquium, id enim in mendacissimum quemvis cadere potest, sed habitus iste, quo animus ad loquendum vera sic quasi adstrictus est, atque devinctus, ut vera loqui, suavissimum; at, falsa, molestissimum evadat.

II. Dupliciter autem vera dicimus, 1. cùm verba respondent rebus. 2. cùm res verbis. Illud, cùm, quæ ut sese habent, narramus: hoc, cùm quæ promittimus verbis, factis præstamus. Expressit utrumque Philosophus; prius, ἐν λόγοις, seu τῷ λόγῳ: posterius ἐν πράξεσι, καὶ προσποιήμασι vel τῷ βίῳ veritatem collocans 4. Ethic 13. Utrumque inter duo extrema versatur. Etsi enim quicquid à vero vitiosè deflectit, mendacium dicitur; nihilòminus duùm illud est generum, dum aut nimium dicitur, quàm res est, aut parum; quorum prius ἀλαζωνείαν posterius

Posterius εἰρωνείαν Philosophus appellat, definiens ἀλάζονα  
ὁ πλείων τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ προσποιούμενος. Εἴρηνα verò,  
ὁ ἐλάττω τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ προσποιούμενος. lib. 1. Mag. Mor.  
cap. 33.

III. Pro intellectu definitionis videndum, quomodo,  
& quando verum, & quando item falsum dicere liceat,  
& deceat. Idque expediet unus, atque alter canon: *Primus*  
hic esto. *Non omne verum dicendum, sed quod expedit.* Audimus  
persæpè, ac videmus; multa utut vera, in publicum prolata in-  
gentibus malis, rixis, discordijs, seditionibus occasionem  
præbere, ut nunquam ea propalasse multò satius fuisset: atque  
hæc, interrogatus licet, ne diffundas. *Syr. 32. v. 12.* hoc enim su-  
furrorum proprium, quibus animos incendere lusus est. Sic  
neque ab hostibus captum vera dicendo patriam prodere, aut  
principum, & magnatum consilia spargere convenit: & talia  
vera non dicere, taciturnitatis virtus postulat. Hujus est etiam  
generis, id quod officiosum vulgò mendacium nuncupatur.  
Nam, quando salus periclitatur proximi, nil obstat, quin (si al-  
liter salvari nequeat) falsiloquio ipsi succurratur; quale fuit ob-  
stetricum Ægyptiacarum *Exod. 1. v. 19.* Davidis furorem simu-  
lantis *1. Sam. 21. v. 13.* Rahab exploratores abscondentis *1. Jo. 2. v.*  
*4. 5.* Chusai Davidem clam defendentis *2. Sam. 16. v. 17. 18.* &  
aliorum quamplurium. Neque numerari istiusmodi inter  
propriè dicta mendacia possunt; illa enim finem habent dece-  
ptionem proximi; hæc ejusdem conservationem.

IV. *Secundus.* *Non semper nec ubiq; dicendum verum, sed tempore so-  
lùm ac loco conveniente.* Artis hoc, suo quæque tempore, atque  
loco proferre; ideò & difficultatis, *Syr. 20. v. 6. cap. 32. v. 12.* Vi-  
tia proximi in publico (nisi officij ratio hoc flagitet) taxare,  
non decet; quin privatim admonendus erit: sic enim & te-  
gitur illius vitium, & detegitur: sic sua ipse vitia audit, nec  
interim in publico malè audit: sic & privato ipsius morbo,  
& publicæ famæ consultum erit. Econtrà; si hinc inde fa-  
cinora alterius præter rem, & causam disseminare cœperis;  
& tibi inimicum conscisces, & multo durio rem reddes.

urborum;  
vitas; ut  
onestas. 2.  
actionum  
nq; urba

od in re  
ertesa

ci; de qua  
s cum re,  
mus. Præ-  
nter veri-  
nant, hæc  
ηθολογία  
Veritas  
ecundus;  
que veri-  
re potest.  
uasi adstri-  
at, falsa;

espondent  
bent, nar-  
præstamus.  
seu τῷ λό-  
y veritatem  
a versatur.  
cium dica-  
ut nimium  
ἀλάζονα  
posterius.

In tempestivum etiam fuerit, ebrius, & nec menti, nec sensum  
compoti de sectanda sobrietate, & ebrietatis vitio fugiendo  
concionari. Similiter inter doctos de agricultura, inter rusti-  
cos de subtilitatibus scientiarum, Theologos de re Medica; su-  
tores de jure disserere; etsi omnia vera dixeris; incommodum  
foret, neque huic virtuti conforme.

V. Tertius. Illud verum dicendum est, quod alterum meliorem red-  
dit, non deteriore. Quicquid de liberalitate precipit Ethica ve-  
rum est; non vero proponendum, multo minus exaggerandum  
prodigo: quæ de parsimonia, avaro; quæ de fortitudine, audaci;  
quæ de lenitate animi, timido inconvenienter, & prorsus in-  
commodè observanda præscribuntur. Ut n. arborem curvam,  
ut recta fiat, in contrarium flectimus: sic avaro, ut à vitio suo  
liberetur, commendanda liberalitas, prodigo parsimonia, &  
sic cõsequenter de cõteris. Quod si enim avaro laudes parsimo-  
niæ decantare occõperis, à vitio, quo laborat, non abstrahes, sed  
magis, magisque illi devincies. Quartus. Non dicatur verum lucri causa,  
verum unice veritatis amore. Aristoteles hoc flagitat. 4. Nic. 13. innuēs,  
cum, qui ob lucrum, vel honorem &c. vera profert, vera-  
citatibus habitu imbutum, (aliàs enim aliud quid directim, ac pri-  
mò non attenderet) nequaquam esse. Qui ergò dictos ob fines  
veritatem sectatur, is verax non est: sed qui propter seipsam,  
h. e. veritatem amat, quia veritas est; mendacium averfatur,  
quia vitium, & mendacium. Quintus. Reticendum verum, quando  
data fides id postulat. Quoties contingit, ut hosti juramento præ-  
stito, ac fide datâ silentium pollicitus fueris, fidem servare de-  
bes; tum, ne tuam ipsius conscientiam violes; tum, ne sanctum  
juramenti vinculum, quo hostis hostem sibi devincire potest,  
prophanetur, imò annihilatur. Etenim, perjuris pœnas inflictas  
accerrimas, quis ignorat? easdem tibi ipsi in proprium coacer-  
vabis caput. Efficies quoque ut simili facinore hostis Reipubl in-  
commodare studeat; qua ratione impeditur potius, quàm pro-  
moveretur salus publica.

VI. In contrarium vera disertè fateri licet; quin & oportet. 1. Cum  
salus, & commodum proximi, ac Reipubl. flagitat. Id quod occasio ipsa  
facilè docebit. 2. Cum jussa, & imperium magistratus vera te profiteri  
volunt,



*volunt.* Quod fit, quando in testimonium vocatus veritati patrocinium quis præstare jubetur: quod, sive tibi, tuisq; sit emolumento; sive nocumento, candidè, & apertè, ut res habet, fateri convenit; idque nî feceris, viri boni, atque veracis officio te minimè defunctum, certissimum est.

VII. *Dubium* verò non immeritò videbitur, quidnam faciendum, si quis per ordinarium magistratum, atque judicem de sui ipsius malefacto quærat, cujus confessio pericula creet præsentissima: anne tunc per veracitatis virtutem verum celare liceat? Sed *Respondendum* videtur, 1. Qui in casu dicto verum apertè fatetur, animi candorem exponit: qui autem dissimulat, bonam partem exculationem meretur: vix enim naturæ, quæ omnibus modis sui conservationem quærit, & à sui destructione abhorret, permittet liberè profiteri id, unde magna expectanda calamitas. 2. Isthæc judicialis quæstio vel est simplex, vel cum seria attestazione, & adjuratione conjuncta. Huic simpliciter, & apertè verum fatendum, ut evadamus perjurium: illi si minus verè responderis; te arrosisse virtutem, etsi non in totum perfregisse, dixerim.

VIII. *Altera veracitatis species est*, qua verbis respondent facta. Hæc promissa potissimum respicit, ut vera dicamur loqui, cum quod verbis promittimus, ipso facto præstamus. Verum & hic distinctione opus, 1. *Promissimus aliquid scientes, vel ignorantes.* Hoc, quando verborum ambiguitate decepti, aut per furorem, sive ebrietatem rationis judicio privati polliciti quidpiam fuimus. Porrò: firma promissio nulla est, nisi cui intellectus judicium fundamenti loco substernitur; ideò quod promissere pueri, infanti &c. nullo jure postulamus. Atqui, per ignorantiam facta promissio intellectum non admittit causam: quomodo enim quæ ignoramus, intelligeremus? Ergò ignoranter prolatis verbis factum ut respondeat, non flagitat veracitas: quamvis, si promissio honesta, fidem datam liberare, expediat. Quæ verò scientes pollicemur, atque volentes, præstare vel maximè decet; nî semel prolata rursus deglutire, & annihilare placuerit.

IX. 2. *Promittimus vel bona, vel mala, honesta, vel inhonesta.* Mala, & inhonesta polliceri, reprehensionem meretur acerri-  
mam,

nam, & gravissimam. Quòd si alterum superaddere volueris, & effectui eadem mandare; jam duplici nomine reprehensionem incurreris 1. ob verba. 2. ob facta. Cavendum ergò ab utroque; si tamen verbum incauto elapsum, id contrario facto corrigendum, imò factis honestis tollendum. 3. *Promittimus vel inviti, vel sponte.* Hoc, quando nullo externo principio cogente, aut instigante, sed liberâ nostrâ proceresi suadente spondemus. Illud dupliciter contingit, cum videlicet id faciunt 1. ignorantes, somno, aut vino capti, furiosi, pueri, deliri senes. 2. coacti, adhibita vi externa reluctantes ad agendum còpuli. Coactio rursus duplex: officij, & malitiæ. Illa, cum ad fidelitatis juramentum, seu homagium præstadium legitimus magistratus vi armatâ cogit; cum item bonis legibus obtemperare à superioribus adigimur; vel transgressores pœnis in viam revocantur. Malitiæ, quando absque potestate legitimâ ad obsequendum, & pollicendum vi apertâ, aut minis, alijsque modis violentis quempiam cogit is, cui alter nullo prorsus jure obstrictus tenetur.

X. Spontanea promissa si honesta fuerint, in debitum cadunt; & salvam veracitatis virtutem si retinere volueris, utique stare promissis oportet. Ignorans quæ spondidisti nulla necessitate teneris adimplere; ut ante dictum. Promissio coacta neminem obstringit; quoniam in periculis constituto mendacium officiosum prorsus est licitum: cum enim effectus acceptus feratur causæ suæ primò agenti; in violentis verò externum principium sit primarium agens; huic utique primò, & potissimum accepta ferenda actio: quicquid igitur tu promiseris ab alio vi adactus, non tam tu, quam alter violenter cogens egisse putandus est. Qui verò tenerer ego alterius verbis abs me, sine ullo mentis assensu recitatis; cum non verba, sed cordis assensus verbis expressus obliget.

XI. Ast durior conditio ejus, qui fidem non dedit saltem; verum juramento, etsi per vim extorto, insuper confirmavit: huic an æquè retrocedere liceat? ardua quæstio. *Respondemus breviter:* Extortum juramentum aut inhonestam confirmavit pollicitationem, aut honestam. Sin prius, valebunt & hîc superioribus dicta, nimirum duplicari vitium, quoties factum verbis congruit.

congruit, Quamvis nec illud prætereundem, aliqua juramenta religionis causâ inhonesta censerentur; utpote blasphemias; veræ religionis abjuracionem; persecutionem Ecclesiæ, ac similes impietates promittentia: atque talia, cum non effecti saltem ratione, sed seipsis etiam sint absurda, imò impia; quippe Deum blasphemantia, & coram hominibus perfidè abnegantia, ne quidem extorqueri posse, credendum: eò, quòd extrema potius quævis, & nec morosa mortis facies pertimescenda, quàm tantum facinus committendum. Ut nec propriè extorqueatur tale juramentum: si verò exciderit, minimè præstetur. Quod si honesta pollicitatio, necessitatis est servare fidem, ei, qui justè te adigere potuit: *utilitatis*; qui malitiosè coëgit: ne videlicet tentatio postmodum conscientiam radere incipiat: siq; similis te feriat conditio durior; ut simili quoque modo elabi liceat: si namque semel latronem hunc ad modum deceperis, gravius in posterum subeundum fuerit periculum, ubi denuò in manus ipsius deveneris: & *honestatis*, non quasi ea strictè id exigat; sed quòd inde constet animi integritas, qui ne quidem videri vult, laxasse fidem, & honestatem quocunque modo arroxisse.

XII. Quid verò: si juramentum legitimè deferatur, cujus formula *ὁμολογίας*, seu *ἀμφιβολίας* sit capax, licetne per veracitatem alterum sensum, quem magistratus, aut quicumque deferens non intendit, assumere, & juramento confirmare? quale Arii istud qui sese confessionem *hanc* in totum approbare sanctè asseverans, eam, quam sinu occultatam gerebat, intellexit; non quam Imp. Constantinus proposuerat. *Resp.* Formulam juramenti non præscribit sibi met jurans, sed deferens; idcirco sensus in ea observandus non alius, quàm præscribentis, quem etiam se acceptare affirmat, eamq; jurando se confirmaturum. Spondet, eo ipso, quòd non repudiat. Ergò qui jurat, in conspectu Dei sese obstringit ad eum sensum, quem deferens juraturo proponit, & explicat. Et certè, si isthæc obtinere deberet æquivocatio; 1. divini nominis invocationi fraus & dolus annexeretur sceleratissimus. 2. Nil quicquam juramenti certificari posset. 3. Fallere liceret in re maximè seriâ; si juraret quis, in alium sensum, quam se juraturum recepit. 4. Juramentum non

B

posset

lueris, &  
nsonem  
utroque;  
orrigem.  
el impij,  
nte, aut  
us. Il-  
orantes,  
acti, ad-  
tio rur-  
entum,  
atâ co-  
us adigi.  
Malitiæ,  
& polli-  
is quem-  
enerur.  
n cadunt;  
que stare  
ecessitate  
acta ne-  
mendaci-  
s acceptus  
externum.  
& potissi-  
iferis ab a-  
gens egisse  
s abs me, si-  
sed) cordis  
saltem; ve-  
navit: huic  
lemus brevi-  
rmavit pol-  
& hic supe-  
tum verbis  
congruit.



posset partes dissidentes dirimere; (quoniam controversia hæc ratione ne attingeretur quidem) quod tamen illi proprium. *Heb. 6. v. 16.* Verum itaq; juramentum oportet illi sensui accommodari, de quo utrobique constat.

**XIII.** Deniq; : *Sitne diversa religionis homini, sive hæretico servanda fides?* disceptationi subjecit gens Pontificia. Egregium certè inventum, & stratagema laudabile; jurando quid polliceri, at primâ sic ferente occasione, fidem datam frangere. Quid hac in re desideremus, indicabimus paucis. I. Iniquum est promittere, quod servare te nunquam posse, aut velle constituisti: perjurum verò, jurejurando polliceri: tunc enim os contradicit cordi, & quod affirmas ore, hoc corde negas, & vicissim. Et quem invocas Deum ore, ludis corde; quo quid atrocius committi posset? Præterea; si quis rem promiserit malam, contra animi propositum; cupit certè videri malus; id quod summæ est malitiæ. Viri proinde boni non sunt, quibus promittentibus servare vel non licet, vel certè constitutum non est. 2. Res promissæ aut politica sunt negotia, aut Religionem concernunt; atque tunc nulla vi adigi quis potest, ut ea pollicear, quæ illam directè impugnent, aut ulla ratione violent. Si verò animo probè deliberato quidpiam, & quidem jure jurando promiseris, teneris utique promissis stare; nam, quod licitum est spondere, licet, imò decet, atque oportet facto præstare. In Politicis negotijs inviolata renenda juramenta, & Reipubl. exigat necessitas, & divina flagitat voluntas. *Ios. 9. v. 15. 2. Sam. 21. v. 1. seq.*

### III.

*Comitas est virtus in quotidiana conversatione mediocritatem servans; ne quis justè offendatur.*

I. Fecit verborum inopia, ut hæc virtus apud Græcos nomine

enine destitueretur *Arist. 4. Ethic. 12.* latinis verò multiplicè  
appellatione gaudet; dum alias humanitas, affabilitas, comi-  
tas &c. dicitur. Estque viro bono prorsus necessaria: cum  
enim morositas multas amicitias dissolverit; adulatio autem  
præsentissimum sit Reipubl. dispendium, amicitiarum disso-  
lutio, dispiciendum utique, ut uterque scopulus devitetur. Dif-  
fert ab amicitia, quòd est *ἀνευ πάθους, καὶ τῆς τέρψειν, οἷς ὀμιλεῖ:*  
& indiscretè *πρὸς ἀγνώστας, καὶ γνωρίμους, καὶ σωηθεῖς, καὶ*  
*ἀσωήθεῖς. 4. Nicom. 12.* A cæteris virtutibus distat; quòd illæ  
quidem in voluptatibus & doloribus occupantur, comitas verò  
speciatim *ἐν ταῖς ἐν ὀμιλίαις. Ibid.*

II. Adversantur comitati in excessu *ἀρέσκεια*, adulatio;  
in defectu *δυσκολία* morositas, utraque & politicæ conversa-  
tioni adversa, & Deo invisæ. *Proverb. 27. v. 6. cap. 28. v. 23. Ec-  
cles. 7. v. 6. 1. Thess. 2. v. 5. Syr. 14. v. 7. cap. 20. v. 14, 15.* Blanditiæ  
placere student tunc etiam, cum neque fert, neque postulat ho-  
nestas. Quamvis autem propriè conspiciantur in factis, qui-  
bus etsi per honestatem prohibitis placere studemus, cernuntur  
tamen etiam in verbis; dum ad morem Gnathonis Terentiani  
alterum in faciem laudamus, aut majora, quàm res est, de quo-  
piam prædicamus. *Morositas ἢ πᾶσι δυσχαίρων 4. Ethic. 12.* præ-  
cipuè est verborum, & morum, quibus displicere laborat,  
quando placendum, & difficilem se præbet, ubi facilitate opus.

III. Ab utroq; recedere; viamq; virtutis regiam incedere tres  
hi docebunt canones. I. Blanditiæ & morositas in vitium ca-  
dunt; quæ gloriæ divinæ adversantur. Ipso usu tritum est Pau-  
linum istud: *εἰ τοῖς ἀνθρώποις ἤρεσκον, χρεῖς ἂν ἦν ἡμῶν.* *Gal. 1. v. 12.* quoties ergò Deo placere possumus, nihil fa-  
cienda hominum gratia: quoniam plus obediendum Deo, quàm  
hominibus, *Act. 5. v. 29, 2.* Rectè igitur in gratiam Antiochi se-  
ptem fratres Judæi carne suillâ vesci recusarunt. *2. Match. 7.* Rectè  
Petrus, & Johannes interdictum sacerdotum de non prædican-  
do Evangelio contemserunt. *Act. 4. v. 19, 20.* Ideò nec in gratiam  
magistratus agnita religionis veritatis deserenda, nec propter  
parentes, aut majores falsam religionem (quod Papistis placet)  
amplectenda.

B 2

IV. Huc

verba hæc  
proprium  
sui accom-

etico servan-  
gium certe  
olliceri, at  
Quid hac  
n est pro-  
nstituisti:  
ontradi-  
cissim-  
atrocius  
nalam;  
id quod  
ibus pro-  
urum non  
eligionem  
ea pollice-  
violent. Si  
ure juran-  
quod licit-  
o præstare.  
& Reipubl.  
p. 13. 2. Sam.

ina con-  
ne quis

Græcos no-  
mine

IV. Huc refertur & isthæc assentatio, qua quis exteras saltem regiones, terrasq; perlustrandi causâ religionem alienam simulat, sacra idololatrica invisit, seque falso cultui accommodat. Ut enim, nulla flagitante necessitate religionem posse non profiteri statuimus; sic alienam verbis, aut externis signis approbare, est veram abnegare: quod quid aliud, quàm Diabolo blandiri, in Deum morosum esse; impijs ob periculi metum adulari. Eiusdem est farinae, quando cum hæreticis hominibus nimis familiariter conversamur, saltem, ne mercaturæ ac negotiationes detrimenti quid capiant. Nam, licet externo modo conversari nihil prohibeat; attamen in conjugium, & familiam ducere, paternos, & pro filijs ad sacrum baptismatis fortem sponsores adsciscere, religionis integritas non admittit.

V. Eâdem causâ morositas Deo adversatur. 1. qua quis sinceram Religionem, hujusq; cultores exilio, carceribus, morte mulctat, ac tyrannicè prosequitur. 2. qua promovere, ac provehere qui posset, id tamen facere negligit. 3. qua conscientia afflictæ multiplicatur afflictio. 4. omnem etiam civilem conversationem aliâs debitam, diversæ religionis hominibus denegar.

VI. 2. *Vitiose sunt blanditiæ, ac morositas Reip. aut uniuscujusq; viri boni commodum evertentes.* Distinctè tamen sic pronunciamus: hosti incommodare his modis licet, uti Zopyrus fecit, qui benevolentiam in Babylonios simulans Rempubl. ipsorum evertit. At; patriam & amicos, quin & sanguine junctos aut illam Rempubl. in cujus societatem quis sese dedidit, hisce modis circumvenire, plusquam vitiosum. Deinde, qui homines nihili, sceleratos, & nequitia deditos, aut aliâs inutilia terræ pondera, ad nihil aliud, quam fruges consumerenatos fovet, promovet, sustentat, eorumq; benevolentiam etiam blandiendo, & facinoribus applaudendo conciliat: hunc in *ἀγένησιαν* incidere, liquet.

VII. Delabitur verò in alterum morositatis extremum, quicumque pater filium, Dominus servum, discipulum præceptor, & verbis, & factis indignè tractat, humanitatem, quam per naturæ jus debebat, iniquè denegar. Qui etiam facilis, ac pronus ad iram seditione, ac bellis reipubl. licet exitalibus, gaudet; inimi-

inimicitias serit; aut jam fatas cum posset, non compenit, atque  
compescit. Qui item levi de causa ijs, qui bono publico pro-  
sunt, aut bene de illo meriti, succenset, ab officio remouet; hisq;  
alios prudentia, rerum usu ac peritia impares subrogat, quod  
exiguo cum emolumento fecit Roboam 1. Reg. 12. v. 8. Qui deniq;  
patriam prodit, ad hostes deficit, aut eam, necessitate hoc po-  
stulante, non defendit.

VIII. 3. *Vitiosa sunt blanditia loco. & tempore non accommodata.*  
Virtutes amicorum predicare licet, sed alijs, quin & ipsismet,  
at; non presentibus alijs, Licet; ast non in publico, cum primis,  
ubi officij ratio hoc non tulerit. Similiter predicare alterum  
potes; non aequè presentem, atq; absentem, nec tam viventem,  
atque defunctum; nec extra occasionem, aut praeter officium.  
Semper enim suspecta est commendatio amici, praeter occasio-  
nem, & locum laudantis. Morosus e contra: qui bonis mole-  
stus esse mavult, quam commodus; qui, quos, ubi, & quando u-  
sus fert, ipsaque res flagitat, & honestas postulat, de predicare,  
aut laudibus exornare recusat.

IX. In dictis ergo casibus in vitio est & blandiri, & morosum  
esse. Alias, blanditias (sed commodas, & honestas) saepius exi-  
git ira magnatum sedanda; infirmitas afflictorum erigenda, &  
qui casus esse possunt similes. Morositatem requirit officium  
magistratus in subditos, parentum in filios, Dominorum in ser-  
vos, praceptorum in discipulos. Ubi tamen attendendum, 1. Ut  
teneatur modus, nec agat pater carnificem, aut magistratus ty-  
rannum, 2. Tangat morositas primò malefactum, secundo per-  
sonam: itaque omnis absit morositas, dum persona culpa vacat.  
3. Simulata sit potius, & faciei, quam vera, seu cordis; h. e. o-  
mnia fiant ex amore non sine perdendi alium, sed, quantum fi-  
eri potest, corrigendi.

IV.

*Urbanitas est virtus in lusu, & joco mediocritatem ser-  
uans.*

I. *Ευτραπεία*, urbanitas vel eo nomine viro bono suspecta  
esse posset, quod honestam gravitatem elevat, nec usque adeò

B 3

sacris

seris literis comprobata videtur. Sed demus; jocos ita comparatos, sordidos, & spurcos *Prov. 3. v. 34.* quos, tantum abest, ut hæc virtus approbet, ut potius horum devitandorum gratiâ urbanitatis virtutem doceat, & inculcet *Ethicus*. Sunt verò & alij joci quasi sal quidam & condimentum vitæ, societatisq; humanæ, & ceu ἀνάπαισις, à quibus ne Cato, aut si quis ipso austerior, abhorruit: & nec Deus abhorret, *Col. 4. v. 6.* Tantum modus adhibeatur, extra quem omnis jocus vitiosus.

II. Definit *εὐτράπελον Aristoteles 4. Ethic. 12.* τὸν ἐμμελῶς παίζοντα; apertè, ac moderatè jocantè. Id postea exponens ait; τὸ ὀπίθεξις ὅτι τοιαῦτα λέγειν, καὶ ἀκρίβειαν, εἰα τὸ ὀπικεῖ, καὶ ἐλευθέρως ἀρμόττει. 4. *Nicom. 14.* Eaq; duobus intercipitur extremis, quorum unum βωμολογία, scurrilitas; alterum ἀγριότης, rusticitas appellatur. Illud est jocos plerumq; scurriles, ac turpes intempestivè seminandi studium, risus excitandi causâ. Hæc inertia, qua nec ipsi jocos proferre, nec alios jocantes ferre possumus. Hinc *Aristoteli. βωμολογία* est ὁ τῶ γελοῖω ὑπερβάλλων. 4. *Eth. 14.* Ἀγριότης, καὶ σκληρότης, ὅμη' αὐτὸς εἶπον μηδὲν γελοῖον, τοῖς δὲ λόγοις δυσχεραίνων. *Ibid.* Utrique medetur *εὐτράπελία* docens jocos & audiendo suaviter excipere, & loquendo, faciendoq; promere: *εὐτράπελος* γὰρ δυνάσται σκῶψαι ἐμμελῶς, καὶ ὑπομένειν σποτῶμένῳ. *lib. 1. Mag. Mor. cap. 31.* quorum utrumque mutuo cohæret nexu: ἀ γὰρ ὑπομένει ἀκρίβειαν, ταῦτα καὶ ποιεῖν δοκᾷ 4. *Nicom. 14.*

III. Quinque præceptorum observatio hujus virtutis viam dirigit. I. *Observeur persona jocantis.* & ad quam jocus refertur. In sua quisq; persona attendat, ne joci sint affectati. Plurimū enim natura à jocis multum est aliena, qui jocari incipientes nil agunt minus: quin propriam potius dementiam produnt; licet consuetudo duriores naturas sensim emolliat. Alios ad jocandum natos dixeris, quorum præ cæteris hæc virtus propria. In personâ verò alterius consideranda venit æqualitas, seu status: vel enim is æqualis tibi est, vel superior, aut tandem inferior. Cum superiore minus tutum jocari, licet audiendo, & pro cōditione rei probando convenienter jocos superiorum excipere liceat. Cum inferiore minus decorum: sic enim præceptor cum discipulo,



discipulo, p̄rens cum filio nimis familiariter conversans aucteritatem suam prostituit. Eligit proinde urbanitas æqualitatem. 2. *Ætatis.* Nam & hæc inæqualitatem facit, ut quis alteri sit coævus, vel eodem senior, vel denique junior. Senes non ijs delectari solent, quibus juvenes, ut, quod his suave, & jocosum, illis fiat molestum. Itaque non est, quod juvenis jocetur cum sene. At senes in juvenilem suam ætatem retrospiciunt, haud ignari, qualibus, quibusve salibus ipsi juvenes exhilarari poterint, ut non incongruum, senem jocari cum juvene. Optima tamen & hic est æqualitas, ut juvenis juvenem, senex senem &c. oblectet. 3. *Ingenij;* quæ varia, ut moratus cum immorato, hilaris, & sanguineus cum Melancholico; ita quoque doctus cum indocto, miles cum clerico &c, difficilius jocetur, quàm cum sui generis, & farinæ altero.

IV. 2. *Attendatur locus conveniens.* Non enim quivis joci aptus. Quicunque enim i. seriis destinantur negotiis, ut templa, collegia Academica, curiæ &c. mœllis actionibus subserviunt, & miseriæ nos commovent, ut sepulturis consecrata cœmeteria. 3. Severis justitiæ exercitiis dicti, suppliciorum videlicet loca, ab his omnis jocus abesse debet. Rectius verò loca temporis fallendo, & recreationi competentia, & cœnaculâ, sphæristeria, triclinia, & similia joci replentur; imò qui in hæc subtristis versatur, nec promptè jocos audit, eosdemq; hilaris spargit, in ἀγριότητι incidisse videtur.

V. 3. *Tempus in joci observetur legitimum.* Ut locus, ita tempus joci non quodvis convenit, sed illud saltem, quod aut singulariter destinatum, aut aliis negotiis minus est commodum, utpote sumptioni ciborum, honestis conviviis, deambulationibus, itineribus impensum. Aliàs, scurrilitatis foret, temporibus ob bella, famem, pestem, aquarum inundationes, terræmotus &c. tristibus, item, seriis tributis actionibus, precibus &c. ludicra peragere.

VI. 4. *Virtutes sint jocorum norma.* Ita comparatam oportet esse urbanitatem, ut nullam virtutē impugnet, utpote quibus arcto  
conne-

ita compa-  
n abest, ut  
gratiâ ur-  
verò & alij  
risq; huma-  
plo austeri-  
tium modus

ελως παίζον-  
s ait; τὸ ὀπι-  
μὴ ἐλευθερία  
remis, quo-  
ης, rusticitas  
pes in tempe-  
inertia, qua  
umus. Hinc  
4. Eth. 14.  
οἶον, πῶς δὲ  
λία docens  
faciendūq;  
s, καὶ ὑπο-  
utrumque  
καὶ ποιῆν

utis viam di-  
ertur. In sua  
enim natu-  
nil agunt mi-  
licet consue-  
candum na-  
In personâ  
s, seu status:  
em inferior.  
& pro cōdi-  
excipere li-  
æceptor cum  
discipulo,



connexam decet vinculo: quamprimum verò virtutibus sese  
 opposuerit urbanitas, protinus in aliud genus migrat, & virtu-  
 tis definitionem amittit. Contingit hoc autem generatim; quan-  
 do joci, atq; sales Dei gloriam, hominisq; proximi famam, & exi-  
 stimationem; civitatis, aut Reipubl. incolumitatem, quæ summa  
 virtutis norma, hostiliter contrectant; quod βωμολόγων propri-  
 um, ἢ τε ἑαυτῶν, ἢ τε τῶν ἄλλων ἀπέχεσθαι. 4. Nico. 14. Speciatiim, 1.  
 cum quis saltem gulæ, atq; ventris, seu corradendarum opum gra-  
 tiâ risum alijs commovere satagit, quod parasitorum, quos πόλα-  
 κας vocat Philos. 4. Ethic. 12. hoc namque liberalitati adversum.  
 2. Cum obscæna, honestatē cōtrectantia, quæve alijs sunt offen-  
 diculo, tractantur, id, quod temperantiæ oppositum. 3. Cum ho-  
 nores jocando aucupamur, quod magnanimitati repugnans.  
 4. Cum pericula honesta ludendo subterfugere nitimur: quod  
 honestati inimicum.

VII. 5. *Finis sit honestus*; h. e. vitæ humanæ delectationē unicè spe-  
 cter, conversationis amabilitatē, animorū honestam devinctio-  
 nē, & sic, bonum publicum promovere allaboret. Ex quibus de-  
 cisio quæ sit est facilis: *sintne ludi scenici in benè constituta Rep. ferendi?*  
 Affirmativa videl. ; si locus, & tempus ferant, nec religioni illu-  
 datur, aut scurrilia, & obscæna proponantur; finis item fuerit ho-  
 nestus; historiarū utilium adumbratio, in bonis morib. ocularis,  
 & exemplaris institutio, à pravis morib. dehortatio &c. Certe,  
 ob hos fines quam utilissimos non saltem admittendæ, ac feren-  
 dæ sunt comædiæ, & tragædiæ, sed etiam studiosè urgendæ,

F I N I S.

A D ORNATISSIMUM Dn, WENCESLAUM  
 FEHRMANNUM Patruelem suum, Respondentem.

WENCESLAEMEUS, laudatos incipis ausus?

Sic Sopiæ in studiis tendis ad alta tuis.

Scilicet hæc causa est PATRIIS CUR MISSVS AB ORIS,

Moribus ut redeas cultus, & ARTE domum,

Hæc de te concepta sunt SPES optima PATRI,

Neve Patrem fallas SPES malefida, vides.

Hinc studij, ingenijq; tui documenta ministras

Dum quæ sita mores Eratica MARTE BONO.

Strenuus urgeto summo in sudore laborem,

Sic studij ceptum continuabis iter.

M. Johannes Ernestus Tzschirichius Dresd. Alum. Elect.

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



102



Συν Θεω  
 TATIONUM  
 ICARUM  
 VIII,  
 De  
 TIBUS HO.  
 LITICIS,  
 ctebergensi Academia  
 oposita  
 ÆS I D E  
 LAO HUNNIO  
 Fac.Phil.Adjuncto,  
 PONDENTE  
 MO FEHRMANNO  
 esdensi.

TTEBERGÆ  
 n. Gormani, Anno 1611.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

B.I.G.

